

KNY-18-00410

DOCTRINAE PHYSIOLOGICAE
DE
T V R G O R E V I T A L I
BREVIS EXPOSITIO

SUPER QVA
CVM GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

A. D. III. M. IVL. MDCCXCV

PRO LOCO IN HOC ORDINE
CAPESSENDO

PUBLICAM DISPVTACTIONEM

H. L. Q. C.

INSTITVET


ERNESTVS BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREIT
PHILOS. ET MED. D. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. E. CIVIT. LIPS. POLIAT.
ADJ. SOCIET. OECONOM. LIPS. SOD. SOCIETT. REG. SC. GOTTINGENS. NAT.
SCRVT. HALENS. ET MED. HELVET. TYRIC. CORRESP.

AD SVMTO SOCIO

CHRISTIANO GOTTLIEB WENDLER

DRESDENSI

MED. BACCAL.



LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

KNY-18-00410



DE TVRGORE VITALI.

§. I.

PRO O E M I V M .

Quanquam verosimile est, nullam in animo vel sui corporis vel rerum externarum perceptionem nasci sine aliquo in ipsis sensus instrumentis motu, nullumque in corpore motum exerceri, a quo omnis sensus absit; solemus tamen, euidenti obseruatione ducti, duo partium corporis genera distinguere, in quorum altero sensus, in altero motus facultas eminentior dominatur. Utriusque facultatis caussam fontemque communem esse vim vitalem, neruos vniuersi corporis peruidentem, ita sumo, ut hanc siue sententiam siue opinionem, quicquid in contrariam partem ab aliis inde ab HALLERI tempore disputatum fuerit, (quorum argumenta non solum legi, verum etiam curiose pensataui) nunquam ex animo meo euelli potuisse aperte confitear. Itaque sensiles partes dicimus, quarum impulsio a quacunque re facta per neruos ad animi sedem transmittitur, caussa ibi extitura perceptionis, quam non in corpore, sed corporis ministerio in solo animo nasci, nemo facile dubitat. Partes autem mobiles, seu, ut vocabulo in scholis physiologorum recepto vtar, vitalis motus facultate praeditae, eae sunt, in quibus, a rei cuiuscunque impulsu, motus manifestus neruorum efficacitate excitatur. Ista vero corporum viuorum mobilitas a materiae inanimae mobilitate quam maxime differt; haec

A

enim pressui, ponderi, aliisque viribus, quas mechanicas dicimus, iisque solis, cedit; illa stimulis cietur; in hac non nisi perpassio-
nem quandam, in illa propriam actionem insitumque vigorem
animaduertimus.

Stimuli sunt res quaecunque ea pollentes potentia, ut, quas
efficiunt in corpore viuo mutationes, eae non ponderi pressuique,
sed peculiari naturae viuae, in quam agunt, ἐνεργειας tribui pos-
sint et respondeant. Vnde patet, hoc ipsum, stimuli vim rei
allicui inesse, non nisi experimentis in viuo animali captis explorari
posse, nec sine grauis erroris periculo licitum esse, ex eiusmodi
rei pondere, figura, mixtione, id quod effectura sit in viuo animali,
coniectare. Ecquis enim, lucis naturam, cantharidum, tartarie
stibiati misturam speculatus, coniectura ab his obseruatis vnicے
ducta, auguretur, a lucis illapsu oculi pupulam adstrictum, a
cantharidum veneno renes inflammatum, a tartaro stibiato stom-
chum conuulsum iri?

Stimulo affici est irritari. Quare, cum perceptio; animo
neruorum ministerio oblata, perinde ac motus in corpore viuo con-
tingens, per stimulus excitetur, sequitur, omnes partes, quae sti-
mulis parent, siue earum affectio ab animo sentiatur, siue motus
manifestus in iis appareat, iure irritabiles vocari. Itaque irritabi-
litas est illa corporis viui facultas, qua ita a stimulus mutari potest,
ut sensus motus inde oriatur. Quod cum clarum atque perspi-
cum esse videatur, non satis intelligo, quo iure Hallerus irrita-
bilitatis nomen soli motus muscularis facultati attribuerit. Si quis
sit, qui mihi otiosam de sonis contentionem exprobret, tritaque
illa: in verbis simus faciles; et, vsus est verborum tyrannus; occla-

met: is quaeso cogitet, illam in vocabulis facilitatem saepe notionum obscuritatem parere, et repellendam esse verborum tyrannidem, quae naturae et rationi repugnet.

Si hanc, quam modo proposui, irritabilitatis definitionem sequamur, verissima omnino videbitur eorum sententia, qui irritabilitatem vitae principium atque fontem esse, ipsamque vitam in stimulorum perceptione vnicē consistere putant. Cum vero nerui primaria sint huius facultatis instrumenta, sine quibus neque in animo sensus, neque in corpore motus a stimulis quibuscumque excitari possit, cumque adeo in solis neruis vis illa, singulis partibus irritabilitatem impertiens, insit, illi etiam, qui vitam animantium in sola vi neruosa positam esse, et ab hac vna omnes corporis viui functiones gubernari statuunt, suo iure ita sentiunt.

Primum et communem stimulorum in neruis effectum, medullac nerueae internum quendam motum esse, nemo negabit, qui consideret, res externas, quarum imagines sensuum ope animo offeruntur, solos neruorum apices sibi obuersos contingere, impetusque illos, a quibus arbitrarii muscularum motus proficiscuntur, in organo animi ad huius nutum inchoari; et in viuorum animalium dissectionibus, medulla spinali vel neruis quibuscumque lacesitis, musculos, etiam longe dissitos, quibus neruorum illorum propagines impletuntur, protinus contremiscere; quae omnia, sine quadam mutationis, quam pars a stimulo proxime tacta perpessa est, progressionē, ne cogitari quidem possunt. Propterea non inepte dixeris, irritabilitatem seu vim neruosam illam esse viui corporis facultatem, qua fiat, ut commoueri a stimulis possit. Sed cum duo sint huius motus interni effecta; motus in corporis organis apparens, et per-

ceptio animo oblata; sequitur, non duo esse et natura sua diuersa vi-
tae animantium principia, sed duas duntaxat vnius irritabilitatis seu
vis nervosae per vniuersum corpus diffusae formas, quarum alteram
sensibilitatis, alteram mobilitatis viuae cognomine appellamus. Causa,
quamobrem alterutrius facultatis speciem induit irritabilitas,
in obiecti, instrumenti et directionis diuersitate posita est. Nem-
pe sensibilitatis obiectum animus est, ad quem rerum corporis super-
ficiem tangentium perceptiones per neruos diriguntur, et in orga-
no animi proprio repraesentantur: at mobilitatis viuae obiectum
perinde atque instrumentum corpus est, et a sedibus cerebro pro-
pioribus ad remotiores facultatis istius actio per neruos dirigitur.

De motu vitali ita plerumque disputant physiologi, ut vnam
tantum eius formam, quae contractione cernatur, agnoscere videan-
tur. Quare, cum ista contractio in musculis, sicubi stimulis laces-
suntur, evidentissime conspiciantur, factum est, ut irritabilitatis, con-
tractilitatis, vis muscularis, viuaeque mobilitatis notiones, promi-
scue usurpati hisce vocabulis, confusae fuerint. Irritabilitatem
autem latius patere mobilitate, eiusque nomine stimulo obediendi
facultatem, siue sensus, siue motus inde nascatur, generatim desig-
nandam esse, paullo ante monuimus. Igitur irritabilitatis forma
est viua mobilitas, quae, si contractione fibrarum manifestatur, con-
tractilitas, in musculis sigillatim contractilitas muscularis, siue vis
muscularis (irritabilitas Halleriana) dicenda est.

At praeter contractionem alia motus vitalis forma est, quae,
licet multa omnibusque nota eius exempla in corpore animali ex-
tent, a physiologis parum adhuc inuestigata, et propemodum ne-
glecta fuit. De turgore vitali loquor, quo vocabulo (cum aptius

— 5 —

inuenire non potuerim, idque passim ab aliis iam adhibitum legerim) partium viuarum expansionem seu distentionem stimulis excitatam appellandam esse existimo. De quo cum breuiter exponere constituerim, primum exemplis rem ipsam illustrabo, deinde fabricam partium, in quibus turgor ille obseruatur, generatim explababo, tum eius caussas, conditiones, et differentiam a motu musculari, postremo, quam utilitatem praestet animantium vitae, explicabo.

*ab initio hunc sicut oportet facio rursum. In hoc
sit uero situs est ob eundem expositioꝝ. 2.*

Turgoris vitalis exempla.

Nulla fere corporis viui pars est, quae ab irritamentis sibi applicatis non intumescat. Perfrices cutim panno aspero solaue manus; mox eam rubore suffundi, incalescere, tendique videbis. Idem accidet, si vrticam, sinapi, cantharidas, alias res acres adhibueris. Inprimis variae animi perturbationes, maxime pudor, ira et gaudium, saepe momento citius, etiam nulla febre uniuersali accessa, efficiunt, ut genae cum tota facie, ipsumque collum et pectus, **corruato in minora vasa sanguine, erubescant et turgeant.**

A frictu, puluisculi in oculos illapsu, acribusque vaporibus, carunculam lacrymalem rubore et intumescere, vasaque minima in albo oculorum, nullo alias colore dictincta, dilatari et sanguine repleri notissimum est.

Pupulae in oculis a fulgidiore luce contractionem eidem, de qua nunc loquor, turgentiae tribuendam esse censeo, consentientibus hac de re mecum IAC. MERY, HALLERO, CALDANIO, aliisque Viris celeberrimis. Nam contractione fibrarum muscularium ab iridis centro ad extreum eius ambitum exurrentium, pupillam,

quaē velut fenestra iridis est, hac reuoluta, latescere, et rursus laxatis illis fibris coarctari, cum muscularum naturae tum ipsis motus iridis phaenomenis repugnat: quippe notissimum est, muscularum carnes, impetente eas stimulo, contrahi, ablato stimulō laxari, iridem autem, ad lucem expandi, in tenebris replicari. Neque credibile est, pupillam a circularibus fibris iridis, luce eam irradiante, constringi, laxatisque illis fibris, cum cessat irritatio, expandi: quod si verum esset, non modo pupilla, verum etiam totus iridis discus a fulgida luce arctaretur, amotaque luce de angustia in latitudinem sese laxaret. Sed sciendum est, fibras illas iridis muscularares effectas, et hypotheseos stabiliendae gratia a nonnullis excogitatas fuisse, neminemque anatomicorum, qui operoso labore membranae istius fabricā perscrutati sunt, sphincterem vel fibras a centro ad limbum iridis excurrentes detexisse. Repugnant etiam musculari structurae obseruationes, quibus innotuit, neque a cultri cuspidi, acribusue irritamentis adhibitis motum iridis prouocari, neque ab ipsa luce, nisi ad retinam penetrauerit, pupillam angustari: nemo enim ignorat, musculos omnium stimulorum validiorum vim sentire, et ab iis, quamcunque sui partem attigerint, aequem commoueri. Quapropter, cum muscularum vigor, hisque solis propria contractilitas iridi plane desit, probabiliorem motus illius rationem non video, praeter illam, de qua nunc loquor, turgendi facultatem. Quod enim huic sententiae a Clarissimo Viro opponi video, iridem, adstricta per lucis radios pupilla tenuiorem reddi, non (vt ab accumulatis humoribus debebat) crassiores; id nescio, an magnum momentum habeat. Vix enim in oculo viuo satis distincte obseruari posse credo, vtrum ab illabente luce crassescat iris,

an tenuior fiat. Deinde, si vel maxime attenuaretur, responderi posset, vasis distentis et in maiorem longitudinem porrectis, vacua interstitia magis explicari, eoque fieri, ut iris obseruatori pellucidior tenuiorque esse videatur. Quod autem idem, quem modo laudauit Vir clarissimus, perhibet, diuersas corporis animalis functiones, interque hos motum iridis, vitae propriae singulis quibusuis partibus infusae tribuendum esse, id, an serio scripserit, fere dubito. Scilicet haec vita propria, quid quaeso differt ab occultis illis viribus scholasticorum, qui bilis in hepate secretioni virtutem cholopoieticam, ciborum in ventriculo digestioni virtutem concoctriceam, alias virtutes aliis functionibus, praefaciebant?

Aliud turgoris exemplum in linguae papillis habemus, quae, quoties res sapida eas contigit, vel etiam (quod facilissimo experimen-
to videre licet) illis nondum contactis imminet, protinus attolluntur et rigescunt. Tale quid in narium etiam membrana fieri cre-
dibile est; certe rerum olientium acrimum estimulo eius vasa expli-
cari et humores copiosiores admittere, suadet muci abundantior ad-
fluxus, quem hae caussae inuitare solent.

Neque obscura sunt turgoris in digitorum apicibus vestigia,
quos, re quacunque, grata imprimis, contractata, vel etiam emi-
nus adnotata, facile videoas, papillis suis explicatis et paullum promi-
nentibus, intumescere.

Nullibi autem evidentior est turgendi illa facultas, quam
in genitalibus. Veretri enim clitoridisque tentigo, siue libido, siue
calor, aliudque irritamentum illam mouerit, soli arteriarum et cellu-
larum sua se vi explicantium et sanguinem copiosiorem admittenti-
num distentioni tribuenda est. Certe neminem hac nostra aetate

esse puto, qui muscularum, quos erectores vocant, actionem, vel venarum per laqueos nerueos strangulationem, caussam illius erectionis esse credat, quam sententiam HALLERVS aliique iam dudum multis et idoneis argumentis refutarunt. Quod venas attinet, non negauerim, earum alias in turgore partes esse; ita tamen, ut turgor non inchoetur earum actione vel per pressione, sed tantum adiuvetur. Nempe, sanguis, postquam in arterias cellulas, propria vi extensas, confluxit, ut partes aliquamdiu distentae maneant, retinendus est; quod fit sufflaminata venarum actione, quarum trunacos sanguis accumulatus mole sua quodammodo comprimit. — Haec ita disputavi, ut communem sequerer sententiam, SWAMMERDAMI, GRAFFIT, aliorumque obseruationibus fultam, intentigine partium obscoenarum cellulas corporum cauernosorum sanguine stagnante repleri et distendi. Id nuper negauit Cel. LANGGVTH, qui, cum rigidos animalium viuorum penes, laqueo interceptos, amputasset, cellulas sanguine vacuas vidi. Equidein non dubito, Virum doctissimum, rem, ut vidi, retulisse, sed experimentum ab aliis repeti vehementer cupio. Tametsi autem liqueret, nullum sanguinem in corpora cauernosa, dum rigent, effundi, tamen iccirco non valde veriturus essem, ne illa, quam proposui, caussae erectionis explicatio retractanda esset: quandoquidem, siue sanguis, siue spiritus, siue aliud quid corpora cauernosa replet, hoc utique certum est, ea quomodocunque plena esse et distendi.

Facultas illa turgescendi, qua externa sexus vtriusque instrumenta praedita esse vidimus, in vtero etiam eiusque tubis et ovariis dominatur. Multiplici enim incisorum obseruatione constitut a veneris vsu vaginæ parietem totumque vterum crassiores, et ma-

gis quam alias esse solet, spongiosum fieri, vasa distendi et tantam sanguinis vim corriuari, vt fuerint, qui hunc rerum statum non inepte cum leuiore inflammatione compararent. Praeterea nemo ignorat, vterum, menstruae purgationis tempore, venis cellulisque sanguine exuberantibus, mole sua crescere, per grauiditatem autem, cum sensim in tantum volumen exsurgat, eius parietes vsque adeo non attenuari, vt potius, toto parenchymate vasisque mirum in modum expansis et sanguine differtis, crassescant. Porro, sub coitu tubas, quae a Fallopio cognominantur, et earum lacinias, ab exundante sanguine rigere, et ouaria haud parum intumescere, viuorum animalium incisionibus innotuit; et probabilis coniectura est, hoc ipso turgore effici, vt tubae ad ouaria sese attollant, fimbriis suis ea amplexurae, ex ouariis autem matura oua abscedant. Huc etiam illud spectat, quod in animalibus anniuersarios veneficos stimulos sentientibus obseruatur; femellis libidine incalescentibus ouaria turgidissima esse, vulvas, velut ab inflammatione, rubere; quemadmodum etiam in maribus eodem tempore vesiculae seminales plenissimae esse solent.

Insignes turgendi facultate mammae sunt, quae in puellis viro maturis vigore vitali attolli, et, vt aiunt, sororiare solent, magis etiam a variis, quae vtero accident, irritamentis, fluxus menstrui, grauiditatis tempore etc. distenduntur; at contra in vetulis, quarum effoeti vteri sunt, nec non induratis exsectisue onariis, marcessunt. Imprimis autem facultas ista eminet in mammarum papillis, quae molles alias et depressae, a frictu, pusionis lactentis suctu, imo adeo ab ipsa lactatus expectatione vel praesensione animo nutricis obversante, rigescunt, et mole sua haud mediocriter auctae consurgunt.

Intestini membrana interior ex innumeris fere conflata est papillulis, quas villos appellare consueuimus. His natura tenerum irritamentis sensum dedit, quo fit, ut contactae a cibis chymoque exporrigantur et alibili succo a vasis lacteis sorbendo quasi obuiam veniant.

Praeter haec, quae attuli, multa alia extant turgoris in diversis animalium partibus exempla. Cristae et paleae auium numidicarum, pallidae alias laxaque de capite et gutture pendentes, in enormem inflantur amplitudinem et sanguineo suffunduntur rubore, quoties ira aut libidine aues istae incalescent. Sunt etiam lacertae (v. c. L. Iguana et Salamandra Linn.) et bufones, quos si vel leuiter attigeris, protinus in cuti colliculos quosdam; humorem lactei coloris aliumue fundentes exsurgere videas: et in ranarum muscularum palmis verrucae quasi sunt (pro genitalibus olim habitae, sed retinendis femellis destinatae,) quae verno tempore, cum veneris oestro animalia ista percipientur, aliquantum intumescere solent. — Plura addere nolo, quae naturae scrutatoribus in omni fere animalium genere occurunt.

Si in illis membris, quae hactenus percensui, turgor euidentissimus est, non credendum esse circa est, reliquas corporis partes ad eum prorsus ineptas esse. Vtique obscurior in iis est, at in omnibus, dum vita durat, aliqua eius vestigia apparent. Vniuersum corpus viuum plenum est, humoribusque per minima quaelibet vascula diffusis turget: delinquentे vitae vigore plerumque marcescit; tandem a morte flaccida fiunt omnia, concidunt, pristinamque firmitatem amittunt. Atque hoc in iis etiam animalibus, quae, cum optime valerent, repentina mors oppressit, v. c. in hominum securi percussorum vel fulmine tactorum cadaueribus, statim a

morte obseruamus. Praeterea omnibus notum est, fetus, qui ob grandius volumen sinusque materni angustiam, dum viuerent, in lucem edi non poterant, saepe, extincta vita, facili negotio protrahi posse, quo intelligitur, eorum corpora a morte exiliora redditum esse. Caussam istus cadauerum *συμπτωσεως* corporumque ventium turgoris, infra explicabo.

Vt vniuersi corporis, ita etiam singulorum membrorum turgor, vitae, collapsus autem et marcior debilitatis mortisque perpetuus comes est. Membra, quorum nerui resoluti sunt, contabescere, laxari, pristinamque firmitatem amittere solent, et, si forte tument, id non vasorum sanguinem vehentium plenitudini, sed lymphaticorum impeditae sorptioni, vel adeo humoris stagnantis dissolutioni tribuendum est. Similiter a gangraena, siue post inflammationem, siue ab alia caussa suborta sit, omnia, vtut antea insigniter tumuerint, considere et quasi flaccescere solent. Porro in summo virium languore morteque appropinquante, oculi, obscurato suo splendore nativo, squalidi fiunt et in orbitas quasi deprimuntur, nasus acuminatur, labia pallent et attenuantur, artus gelido perfusi frigore laxam maleque ossibus haerentem cutim ostendunt. Atque, ne credas ob humorum inopiam solida considere, sciendum est, ea, quae dixi, omnia, non solum post enormem sanguinis alias humoris profusionem, verum etiam viribus vitae per alias caussas vehementer infractis accidere.

Denique in glandulis visceribusque ad humorum secretionem a natura destinatis magnam esse turgoris efficaciam, persuassimum mihi est, nec aliam magis ob caussam puto secretiones a variis stimulis augeri atque peruersti. Sed, ne nimis longus sim,

plura de his dicere omitto, alio forte tempore de vi turgoris vitalis in secrezione humorum sigillatim scripturus.

§. 3.

*De structura partium turgescendi facultate
praeditarum.*

Omnibus corporis humani partibus, quae stinuolo admoto intumescent et distenduntur, commune est, ex vasis, maximam partem sanguiferis, multaque tela cellulosa contextas esse. Docet hoc subtilior cutis, papillarum linguae, iridis, genitalium utriusque sexus, aliarumque partium illa facultate insignium, perscrutatio. Abundant eadem nervis, mirifice intricatis omnesque cellulas peradentibus. Fibris carneis vel destituta, vel accessoriis tantum nec ad proprium partium textum pertinentibus munitae sunt: quod, ut alia taceam, ipsius uteri exemplo liquet, qui ex fibris muscularibus (post multorum dubitationes nuper denuo assertis) non contextus est, sed iis tantum cingitur et quasi vestitur.

Partium illarum, de quibus loquor, tela cellulosa, in aliis firmior est, et in maiora spatia partita, v. c. in corporibus cauernosis penis et clitoridis; aliis mollior est et exilis, ut iridi, linguae cutisque papillis etc.

In pene et clitoride arterias patulis ostiis in corporum cauernosorum cellulas desinere et ex iisdem cellulis totidem vias ad venas sanguiferas patere, plerique anatomicorum suo iure statuunt, nec, nisi verbis, ab his dissentient, qui cellulas putant esse dilatata quedam vasorum spatia, arteriarum venarumque ramulis minimis interposita. De reliquis, iisque subtilioribus partibus turgendi

facultate instructis nondum satis liquet, qui sint arteriarum fines, quae venarum principia: tamen probabile est, saltim in nonnullis, **v. c.** in papillis cutis, linguae, intestinorum et mammarum, cauer- nosa spatia vtrisque vasis interiecta esse.

Denique in omnibus membris, quae admisso irritamento tur- gescere debebant, naturam eo modo, qui huic consilio accommo- datissimus esset, vasa disposuisse obseruamus. Etenim, quando laxae sunt illae partes, vasa iis intertexta tortuosa et hinc illinc flexa esse solent; eadem, quando turgorem stimulus quicunque excitauit, in rectitudinem protenduntur. Luculenter id videoas in iride, vtero, mamilis; et credibile est, in aliis iisque subtilioribus partibus, quarum fabrica nondum penitus explorata est, vasa simili modo distributa esse.

Haec fere de structura partium, quas turgori aptas natura fe- cit, generatim monenda erant. Sciendum autem est, harum par- tium singulas, licet haec communia habeant, in aliis differre; nemo enim negauerit, in iride, corporibus cauernosis, mammarum pa- pillis, rel. diuersum esse parenchymatis, fibrarum, et vasorum po- situm, nexum, implicationem, densitatem, et proportionem. Sed de his, cum generalia tantum sequar, non est huius loci sigillatim agere.

Caeterum non ignorare debent lectores, ea, quae in hac sectio- ne proposui, in primis ad illas corporis animalis partes pertinere, quarum a turgore contingens mutatio in statu sano euidens et ad functiones proprias obeundum necessaria est. Nam reliquas etiam partes turgescendi facultate non plane destitutas esse, supra monui; sed in his obscuriora eius sunt vestigia, dum recte valet ani- mal; manifestiora subinde in morbis conspiuntur.

Tandem, si omnia quae adhuc de structura partium turgoris capacium innotuerunt, perpendimus, facile intelligitur, propriam vigoris illius sedem in membranis cellularum et vasis esse, quorum distentione, membra, cui insunt, volumen augetur.

§. 4.

Turgoris vitalis caussae.

A turgore vitali, vbicunque apparet, nunquam abest irritatio: haec sola efficit, vt partes, quibus accidit, explicitur, volumine crescent et rigeant, cessante illa rursus collapsuræ et ad pristinum laxitatis et mollitiei statum reddituræ. Porro aequæ certum est, partes sic affectas, humore affluente abundare, quo vasa cellulæque impleantur. Atque hoc illud est, quod in physiologorum et pathologorum libris sexcenties repetitum legimus, humores in corpore viuo illuc ferri, vbi irritamentum extiterit. Quod, cum nemo ignoret, magnopere mirandum est, caussam eius rei a plerisque neglectam, a nonnullis defunctorie inquisitam fuisse. Multi enim, nulla ratione addita, scribunt et aiunt, hanc legem corporibus animalium naturam imposuisse, vt, stimulo ad viuas partes applicato, humoris affluxus augeatur: alii rem satis dilucide explanare sibi videntur, cum alterutrum ex his duobus ponant; aut humores ipsos sensu stimuli allici et ad hunc vel illum locum inuitari; aut arterias per irritamenta ad velociores motus concitari, ictibusque solito frequentioribus humorē abundantem aduehere.

At videant, qui haec proponunt, quam parum ipsi sibi content, et quam longe ab illis recedant scholæ suæ decretis, quæ alias pro verissimis habent. Primum enim, quod nonnulli aiunt,

humores nescio quo stimulorum appetitu ad partes irritatas duci, id vero repugnat tum fluidorum naturae, tum vitae notioni. Nam vt stimulus sentire possent fluida, vita iis foret opus, sine qua sensus cogitari nequit. Atqui vita propria non potest inesse naturae fluidae, quae instabilis est et in momenta mutabilis, motumque omnem, quo fertur, non suo impetu suscipit, sed alieno impulsu patitur.

Qui autem putant ab irritamentis exagitari vasa, eorumque velociore motu humores ad partes extimulatas rapi, hi, quaeso, ductius suam explicit sententiam, vtrum omnium vasorum et ipsius cordis, an solummodo illorum vasorum, quae loco irritato proxima sunt, motum celerari credant? Si illud, respondeo, contraria esse experientiam: quippe saepissime fit, vt sanguis aliquique humores in partibus a stimulo laccessit, nequicquam aucta pulsus cordis et arteriarum velocitate, accumulentur. Praeterea notum est, inflammationem, quae enormis turgor est, haud raro absque vlla febre esse, alias diu ante febrem, quae serius accendatur, existere. Deinde, vt earum partium, in quibus potentissima est turgoris efficientia, genitalium puta, exemplo vtar, nemo ignorat, cum horum membrorum οργασμω saepissime nullum motum febrilem coniunctum esse: contra in ea aetate, qua sanguis summa velocitate per vniuersum corpus circumducitur, infantili nempe, tantum abest, vt obscoenae partes turgeant rigeantque, vt potius flaccidae sint et propemodum inertes. Porro si uniuersi sanguinis exaestuatione ad turgorum, de quo loquimur, opus esset, nulla foret femina, siue menstruo sanguine exsuleretur, siue praeognans esset, quin febre corripetur; quod, quam parum experientiae respondeat, me etiam non monen-

te, intelligitur. Imo vero perrarus est in febribus genitalium rigor, nec senibus vetulisque ad membra effoeta refocillanda prodest, in febrim incidisse. Itaque, si quando in morbis singularum partium, ubi turgor naturalem modum excessit, febris accenditur, credendum est, non febris caussa partes nimis distentas esse, sed vel ipsum turgorem, vel stimuli efficientiam a parte primitus affecta in reliquum corpus diffensam febrem excitasse.

Sed illos etiam audiamus, qui existimant, humores in partes turgescentes propterea solito maiori copia corriuari, quod fibrae musculares arteriarum minimarum a stimulis solito magis et frequentius laccessantur. Hi velim considerent, fibrae muscularis naturam atque indolem, quae talis est, ut ad stimulum sese contrahant. Proinde, si fibrarum muscularium, quae minimis arteriis insunt, irritatione omnis stimulorum actio absoluatur; sanguis non modo non accumulari posset in locis irritatis, verum etiam ab iisdem, vasorum minimorum constrictione arceretur. Dicat forte aliquis; arterias minimas, quoties contrahantur, toties vicissim laxari, ergo necessarium esse, ut sanguis frequentioribus arteriarum ictibus propulsus solito maiori copia in locum irritatum intra datum tempus irruat. Est istud quidem aliquid, sed nescio, speciosum magis sit an verum. Nam quo celeriores sunt contractionum vicissitudines, eo minus spatium alternis dari relaxationibus, eoque imperfectiores has esse oportet: quare facile intelligitur, hac sola velociore arteriarum constrictione sanguinis vberiore affluxum usque adeo iuuari non posse, ut potius impediri debeat. Sed concedam tantisper, fieri posse, ut solito maior sanguinis copia ad vasa ab irritatione frequentius constricta appellatur; tamen non intelligitur,

quomodo sic accumulari et vasa distendere posset. Nam, quoties contraherentur arteriae minimae, toties sanguinem propulsurae essent in venas proximas, quarum opera omnis abundantia a locis irritatis protinus amoueretur. At ais forte, venas minimas eo tempore occludi et sic prohiberi sanguinem alias in eas transiturum? Nimirum vide, annon haec inanis sit fictio, ad tuendam et quomodo docunque exornandam veterem sententiam de humorum congestiōnibus ex solo arteriarum velociore motu pendentibus, inuenta et composita. Quid enim? An nescis in plerisque saltim corporis sedibus, venarum principia de arteriis minimis existere? An ergo credibile est, partes simillimas, imo vero easdem, ab eodem stimulo, eodem temporis momento, contrario modo affici, vt arteriolae minimae sanguinem et solito maiore copia affluentem in se recipient, et receptum velocioribus urgeant ictibus; venae autem constrictis suis ostiis eundem remorentur? A neruis tanquam a laqueis quibusdam venas partium, quae turgent, constringi, itidem merum commentum est: nerui enim, quanquam musculis, quibus impletuntur, contractilitatem impertinent, ipsi tamen constringi plane non possunt. Caeterum haec eo consilio disputauit, vt turgorem vitalem non a venarum constrictione initium sumere ostenderem. Istud vero non nego, turgore iam oberto et aliquantum prouecto, venas comprimi, quod, quomodo fieri possit, alibi a me demonstratum est. Sed liquet, hanc venarum compressionem turgoris non causam sed effectum esse.

Supra scripsi, vniuersum corpus humoribus plenum esse, totamque eius superficiem, dum integrae vitae vires sint, turgere. Atque hoc etiam plerique soli cordis tribuunt robori, sanguinem

caeterosque humores quoquouersus, et in remotissimas quaslibet corporis sedes propellenti. Cuius sententiae potissimum argumentum ab eo repetunt, quod, languescente, magisque adhuc deleto cum vita cordis vigore, corpus totum marcescat, et, ut aiunt non nulli, collabatur. Quod cum in se verum sit, tamen vehementer dubito, an magnam vim ad id, quod illi volunt, probandum habeat. Nam, ut taceam, de cordis vi in minimis vasis adeo parum superesse, ut multi, an eo vsque illa pertineat, dubitauerint, notissimum est, corpus neque aucta cordis motus vehementia semper magis turgescere, neque semper, cum tardior debiliorque ille motus sit, marcescere. Atqui repugnans est, effectum aliquem causa sua (si modo vera caussa est) inualesce nō augeri, eaque deminuta non minui. Praeterea, si tanta sit arteriarum, praecipue minimarum, segnities et inertia, ut sanguinem recipientes solummodo cordis cedant impulsui, seque distendi, coactae quasi, patiantur, nihil ipsae agant, non video, cur animali repentina morte extincto totum corpus subito flaccescat. Nimirum si arteriae, cum a sanguine distenduntur, otiosae essent, necessarium foret, eas a morte distentas manere sanguine, quem nouissimi cordis impetus appulissent. Si obiicias, sanguinem, qui proxime ante mortem in arterias minimas peruererit, vel superstite harum contractilitate viua in venas propelli, vel a venis ipsis sorberi, in promtu est responsio. Scilicet incredibile est, arterias quae in viuo animali nulla vel exigua contractilitate instructae esse dicuntur, eandem extincta vita nunc demum adipisci, neque intelligo, quomodo post mortem sorbere possint venae, quae persistente vita sorbendi facultate vsque adeo destitutae esse creduntur, ut multis magni nominis

physiologis solo cordis impulsu sanguine repleri videantur. Porro monendum est, mortem, si lento gradu ingruit, plerumque in extremis corporis artibus primam sedem figere, vt saepe, his iam torpentibus, vita, sensu et firmitate pristina orbatis, cor non solum celerare motum, verum etiam solito maiore impetu micare sentias. Iam, si in repletione et distentione vasorum, haec otium agant solique cordis vi sanguinem propellenti concedant, quid, quaeso, impedit, quo minus ista vis, in extremo vitae articulo superstes adhuc, imo concitata, inertia vasa, sanguine in ea projecto, impletat? Quae enim vasa, cum integra vita esset, nulla renitendi potentia instructa erant, ea, deleta partium, quibus insunt, vita, multo minus distendenti se impulsui renisura esse, perspicuum est.

Haec disputantem forte interpellabunt, quibus ego frustra niti et cum umbra pugnare videar. Nempe monebunt, plerosque nostrae aetatis physiologos, repudiata iam dudum antiqua illa sententia de infinito cordis in vniuersa vasa imperio, arteriis vigorem proprium, quo acceptum a corde sanguinem propellant, tandemque in conterminas venas commeare cogant, tribuere. Perspecto autem isto arteriarum vigore corporis vegeti et viui plenitudinem, eiusdemque languentis et mortui collapsum facillimo negotio explicari posse. Nempe arterias vicissim a sanguine ex corde profecto distendi, eumque receptum nisu proprio et contractione ulterius prouelhere; alternis hisce arteriarum sanguinis impulsui cedentium dilatationibus eumque sua vi urgentium constrictionibus fieri, vt vitalis latex per vniuersum corpus dimanet, illud vndique repleat et distendat, tandemque venis tradatur: languescente autem vita minimas arterias sanguinem, quem nouissimum a corde acceperant,

constrictione sua in venas propellere, cumque nihil amplius per maiora vasa affluat, vacuas relinquuntur: inde totum corpus exinanitis superficiieis vasis flaccescere.

Haec audio, quin me victum sentiam. Nam istud quidem verissimum est, sanguinem in arteriis harum nisi proprio moueri et per vniuersum corpus diffundi, at non aequa verum est, hac ratione plenitudinem corporis viui et vegeti, et, quae mortem subsequitur, flacciditatem, dilucide explicari. Nempe sic quidem caussa declaratur, quamobrem sanguis, ut in arterias aduentauit, propellatur ulterius, aliique vndae identidem locum faciat; sed, quod prohibetur, vel certe non obscure significatur, arterias, cum distendantur, otiosas esse, seque sanguini aduerto non sua vi, sed coactas, accommodare, id quidem magnis premitur difficultatibus. Quid enim? Si inertiae, non actuosae efficientiae tribuenda est arteriarum repletio, ad hoc ipsum, ut sanguinem recipiant, vita iis non opus est. Cur igitur, quando mors extremas corporis partes occupauit, cordis superstite motu sanguineque per illum in vasa maiora projecto, arteriae minimae non amplius distenduntur? Nempe ait, sanguinem tunc ex arteriis, harum constrictione, in venas propelli? Atqui illae, stimulo reniti contrahique, nisi viuae, haud possunt. Quando igitur, quod posuimus, continuato adhuc cordis motu, extremi corporis artus, cumque his arteriae minimae vitam amiserunt, contractilitatem, quae vitae dos erat, in iis periisse necesse est; ideoque collapsum et inanitatem arteriarum, constrictioni, quae fieri desuit, tribuere, absurdum est. — Paullo altera res se habet in arteriis maioribus, quae a propiore corde sanguinem accipiunt. Nam ex his, si forte vulneratae fuerint, sanguini-

nem ab initio, magno cum impetu proasilire, tum paullatim parciorem effundi, tandem, emortua discissi vasis contractilitate, in extremo eius ostio quiescere et coagulari, notum est. Iam, si in minimis etiam arteriis distentio, quam a sanguine patiuntur, vnius cordis efficacitate fieret, nec illae, nisi in contractione, propria vi quidquam ipsae molirentur, in extremo vitae articulo idem, quod in maioribus fieri diximus, in minimis arteriis pariter obseruatur essemus: nempe in his quoque constiturus esset sanguis, quem, amissa contractilitate, propellere non possent. At omnia contraria sunt. Igitur, si corpus, dum viuit, humoribus turget, si omnia eius vasa, minima etiam, plena sunt, id quidem non arteriarum minimarum, cordis maiorumque vasorum impulsui cedentium, inertiae, sed propriae earum actioni, qua sanguini aduentanti se accommodent, tribuendum esse videtur.

Nunc illos etiam audiamus, qui corporis viui plenitudinem et turgorem calori insito, eiusdemque post mortem inanitatem caloris defectui assignant. Igitur isti, ad caloris notissimam illam facultatem prouocantes, qua corpora expandere solet, aiunt, animalis viui sanguinem a calore omnia peruadente rarefieri, vasa autem dilatari; ideoque fieri non posse, quin totum corpus, vasis vndeque expansis et sanguine tenui differtis, turget, contra, postquam eum vita calor proprius extinctus sit, constrictis vasis, densatoque sanguine marcescat, et quasi in se considat. Propterea etiam corpus eiusque partes calore, siue per morbum inualuerit, siue foris applicatus fuerit, expandi magis et non mediocriter intumescere, vnde et illud sit, quod vestes per hiemem corpori aptae, media aestate minus commodae videantur. A frigore autem, tum externo,

tum febrili, corpora adstringi et graciliora fieri, neque aliam ob caussam pallorem per vniuersam cutim diffundi, nisi ob vasorum minimorum adstrictionem et sanguinis densati in vasis maioribus retentionem.

Magnam sane veritatis speciem haec disputatio habet, sed ne inanis ea sit, vehementer vereor. Verum vtique est, a calore pleraque corpora solida expandi et fluida rarefieri; sed egregie falluntur, qui calorem in corpora viua perinde ac vita destituta parem vim exercere putant. Nam qui viuis animalibus (iis praecipue, quae a calido sanguine cognominantur) secundum naturam inest, calor, eum, dum vita viget, notissimum est, ita stabilem suique semper similem esse, vt nullis facile frigoris calorisque externi vicissitudinibus immutetur; neque ex sensu frigoris aut caloris, quo afficimur, calor proprii corporis aestimari debet. Saepe enim fit, vt se bricitantes, hypochondriaci, aliique aegroti de molesto frigore vel calore conquerantur; et ab ira, cursu, mero intemperantius hau sto, exquisitus caloris sensus nascitur; nihil tamen magis auctum esse calorem internum, thermometri ope facile cognoscitur, quod, si hominum sic aestuantium corporibus applicueris, liquorem vix vñquam vltra caloris natuui animalis gradum attolli videas. Porro in celeribus illis BANKSII et SOLANDRI experimentis, corpora, cum aer externus ad 211 gradus Fahrenh. calefactus esset, suum caloris modum tam pertinaciter retinuerunt, vt mercurius in fistula thermometri, huius globo in os immerso, ad 108. gradum sub sideret, quod calorem indicat natuuo decem tantum gradibus maiorem. In alio DOBSONI experimento, cum aeris ambientis calor 224 graduum esset, calor humanus non supra 102 gradus adscendit.

Et tamen calorem aestium, licet nativo proprii corporis calore aliquanto minor sit, moleste ferimus, ab eoque corpus, quod extimulat, solito magis intumescere solet. Contra ab immani brumae frigore, quo grauissime affligimur, internus calor, dummodo vitae suus vigor constet, non minuitur. Quae cum ita sint, facile, me etiam non monente, intelligitur, a calore corpora viua non eodem, quo inanima solent, modo affici; deinde, si forte in febribus, vel a calore externo, corpus animale eiusue partes plus solito turgeant, id neque caloris interni et proprii incremento (quod nullum fere esse ostendimus) neque communi illi caloris vi, qua, per corporum poros diffusus, ea distingere et rarefacere solet, tribuendum esse; tandem, a frigore externo insitum animantium calorem, dum integra vita sit, non extingui, ideoque, si corporis viui superficies a frigore externo interdum adstringatur, eius rei rationem non a refri-gerio sed aliunde repetendam esse. — Praeterea, si nativus ani-mantium calor plenitudinis istius et turgoris vitalis, de quo nunc loquimur, caussa esset; animalium, quibus frigidum sanguinem esse vulgo dicunt, cadauera non essent statim a morte collapsura. Horum enim calor, dum viuunt, aeris vel aquae ambientis calori par est, ideoque non possunt, extincta vita, refrigerari. Atqui ranarum etiam, serpentum, piscium, aliorumque huius generis ani-mantium cadauera, a morte statim flaccescunt; ergo non potest viuentium plenitudo a calore, neque emortuorum marcor a refrige-rio proficisci. His adde, quod in membris resolutis haud raro ob-seruamus, collapsa flaccidaque cute calorem naturalem etiamnum superesse; et saepe a vehementissimo febrium ardore, vi vitali labefactata, turgorem usque adeo non augeri, ut potius omnia con-

täbescant et flacceant. Dum haec, quae modo proposui, mecum reputo, a me impetrare non possum, vt iis assentiar, qui turgorem vitalem vniuersi corporis, natiui caloris effectum esse existimant. Igitur causam huius rei aliunde repetendam esse puto; eaeterum, cum a calore externo turgorem istum nonnunquam augeri videam, id stimulanti non expandenti vi caloris deberi persuasissimum mihi est.

Qui a vasorum et parenchymatis relaxatione, in quibusdam saltem partibus, turgorem nasci scripserunt, illi vereor, vt claram perspicuamque habuerint suae opinionis intelligentiam. Scilicet decepti fuisse videntur obseruatione morborum, in quibus, infracta solidarum partium firmitate, humores passim accumulantur, et stagnant. At haec otiosa quasi humorum abundantia pigrorumque vasorum et cellularum distentio, mirum, quantum a turgore illo, cuius exempla protulimus, differat. Namque laxitas inertiae soboles est, quae, quo maior est, eo magis a viuae naturae vigore remota est: contra turgor ille non nisi in partibus vitali ἐνεργείᾳ instructis, irritamenti caussa nascitur. Sed haec alio loco paullo diductius explanabo.

Postquam igitur probabilibus argumentis demonstravi, turgoris vitalis caussam neque in humorum a stimulis illectorum confluxu, neque in motus muscularis cordis et arteriarum affectionibus, neque in venularum sanguinem ex arteriis haurientium constrictione, neque in calore vitali, neque in laxitate partium quaerendam esse; superest, vt, quae mea sit de hac re sententia, expediam. Mihi itaque, vsque dum meliora edoctus fuero, verisimile videtur, naturam cum vniuersi corporis, tum maxime nonnullarum eius partium vasa minima, textusque cellulosi membranas ita construxisse, vt

dum vita integra est, irritamenti sibi illati obscuro quodam sensu ad explicandum sese et expandendum instigentur. Igitur, si ad partes extimulatas sanguis aliisque humores confluent, id ipsum, mea quidem sententia, non principium distentionis est, sed effectus necessarius: hoc est, non eapropter vasa cellulaeque distenduntur, quoniam ab adiectis humoribus impelluntur et cedere coguntur: sed quia sese explicant, iccirco nimirum humores aduentantes recipiunt. Caeterum hanc vim a neruis proficisci, persuasissimum mihi est: nam turgor a stimulis excitatur atque augetur, iisque remotis vel non perceptis, cessat. Atqui nulla viui corporis pars stimulis agitatur, quin neruis sit instructa, iisque solis irritamenta percipiendi facultatem debeat. Quemadmodum autem in musculis, neruorum ille vigor, qui contractilitatis viuae caussa primaria est, fibrarum structurae alligatus est, et in his solis contractioni operatur, ita in turgoris vitalis instrumentis vis neruosa, quatenus per vasorum minimorum et cellularum textum diffusa est, distensionem efficit. Ergo, vt scholarum more loquamur, turgoris caussa essentialis et effectrix in neruis, caussa formalis in partium, quibus nerui implexi sunt, elementis horumque coagmentatione posita est. Si quaerat aliquis, cur nerui in his unice partibus turgorem, admotu stimulo, efficiant, et quo tandem modo id efficiant? vtrumque me nescire respondeo: neque me pudet, hanc meam ignorantiam apud eos profiteri, qui meminerint, caussam, quamobrem muscularium carnium structura ad viuam contractilitatem, cutis textu ad tactum, papillarum linguae fabrica ad sapores percipiendos opus sit, et illud ipsum, quid nerui in muscularum contractione, tactuque et gustatu moliantur, ignorari, licet plerique motum musculari-

rem, omnes tactum et gustatum a nervorum efficientia, pro diuersa organorum structura diuersas formas subeunte, repetendos esse consentiant.

Quascunque igitur corporis viui partes natura ex vasis cellulis que ita effinxit, eoque nervorum vigore instruxit, ut, illato sibi stimulo, se se explicare et expandere possint, eas turgescendi facultate praeditas esse dico. Turgescibilitatem cognominare possem, nisi barbari vocabuli insolentiam ipse perhorrescerem. Turgor autem, dum vita integra est, existit, quandocunque partes, hac facultate gaudentes, a stimulus, quibus percipiendis idoneae sunt, percelluntur: eumque proxime sequitur accumulatio humoris patefacta sibi spatia subeuntis.

Nunc postquam satis est, opinor, de proxima turgoris caussa expositum: reliquum est, ut stimulus, seu caussas excitantes turgoris breuiter commenoremus; omnes enim enumerare, infinitus premodum labor foret. Commodo autem in varia genera distribui possunt. Primum igitur alii stimuli ad res corporeas, alii ad animi affectiones pertinent. Lux iridis, frictus, ignis, acris, cutis aliasrumque partium turgorem cident; pudor genarum ruborem, libido genitalium tentiginem, cibi gratia desiderium papillarum linguae erectionem excitat. Deinde, alii stimuli illas ipsas partes, quae inde turgent, proxime contingunt; v. c. calor, frictio, cutim; suetio mamillas; salia linguae superficiem. Aliorum efficacitas nervorum consensu in partes a primaria irritationis sede remotas dimanat; cuius rei exempla habemus in luce, quae iridis motum, non eam ipsam irradiando, sed in retinam incidendo excitat, tum in grauiditate, quam comitari solet mammarum turgor ab uteri irritatione proficis-

cens: nec non in calculo renum, cuius frequens symptoma penis rigorem esse nemo ignorat. Atque in hoc genere stimulorum, a quorum sensu dissitae partes turgescunt, etiam animi perturbations, quarum mentionem paullo ante inieci, ponendas esse existimo; quippe quae primitus animi organon, posthac, nervorum contagio, remotas corporis partes commouent. — Denique notandum est, nonnullorum turgoris instrumentorum eam esse indolem, ut ab eodem humore, qui mox in cellulas et vasa patefacta confluxurus sit, haec ipsa vasa cellulaeque ad sese expandendum sollicitentur. Dicere possis, in his partibus quandam stimuli appetentiam inesse, qua fiat, ut eidem rei, qua irritantur, sese accommodent. Ita sanguis caeterique humores, qui ad cutim perueniunt, et stimuli vim in vasa minima cellulasque exercent, et ab his sese explicantibus suscipiuntur. Eadem ratio videtur esse instrumentorum secerendi, ut, quem ex sanguine haustura sint humorem, eundem irritamento ipsis esse natura voluerit. Alibi turgor excitatur stimulis, ab humore affluxuro distinctis; v. c. in genitalibus, quorum cellulae et vasa, a libidine vel calore explicata et distenta, sanguine repletur.

Irritabilitatem (quo nomine omnem stimulus percipiendi facultatem a me nuncupari ex superioribus notum est) non aequabiliter omnibus corporis animalis partibus natura dispertit. Sensibilitatis pariter ac contractilitatis diuersi gradus sunt, quorum proportiones numero stimulorum, quibus quaeque pars ad sensum motumue excitari potest, metiri et aestimare oportet. Praeterea res quasdam esse, quae singularia motus muscularis sensusue instrumenta exstimplent, in reliquis inefficacia sint, experientia docet. Hoc illud est, quod

uuperi quidam scriptores stimuli specifici et irritabilitatis specificae vocabulis in physiologiam introductis significarunt. Iam illius etiam, de qua disputamus, turgescendi facultatis multos diuersosque gradus esse, compluribus exemplis potest ostendi. Nam, vt hoc vtar, cutis longe hebetior est mammillis et intestinorum villis, et cutis ipsius partes variae ita inter se differunt, vt aliae facilius et a leuioribus stimulis, aliae difficilius nec nisi ab efficacioribus irritamentis ad turgorem prouocentur. Plura, quae huc faciunt, afferre possim; sed nolo esse longus. Sed sunt etiam stimuli, quos, quatenus in aliquibus tantum partibus, nec alibi vsquam turgorem concitant, specificos dicere possis. Sic v. g. lux in sola iride, libido in solis genitalibus, partibusque cum his neruorum cognatione coniunctis, res sapidae in solis linguae papillis turgorem cident; vt reticeam de propriis stimulis, secretionum instrumenta singulariter irritantibus. Propterea, vt sensibilitatem et contractilitatem, ita turgescendi facultatem propriam, seu, vt vulgari vocabulo vtar, specificam, singulis partibus naturam tribuisse, iure nostro perhibemus.

§. 5.

Quid turgor vitalis ab aliis quibusdam corporum animalium phaenomenis differat?

Turgorem vitalem ab illa muscularum contractione, quae stimuli excitatur (licet in vtroque genere vis neruosa dominetur,) diuersissimum esse, haud difficulter ostendi potest. Primum enim musculus, vbi irritatur, sese contrahit, et quanquam ventre suo intumescat, tamen iccirco neque mole neque tota amplitudine crescit: nam quantum crassitiei accedit, tantundem de longitudine decedit.

Contra, partes, quae turgent, toto suo ambitu quoquouersus amplificantur, et in molem pristina maiorem excrescent. — Deinde in muscularorum contractione mutua fit fibrarum inter se accessio, vt singularum elementa densari et in angustius spatium cogi videantur, atque haec ipsa causa est, cur musculi conuulsi transuersim corrugentur. At in turgore contraria fiunt; explanantur omnia, fibrae recessum a mutuo contactu moliuntur, plicatura euanescunt, et tota superficies undique tensa quodammodo nitet. — Porro in musculi carne, quando contrahitur, sanguinis aliorumque humorum copia adeo non augetur, vt nonnulli, v. c. BOERHAAVIVS, falso quidem, eam minui, ideoque carnes in ipso contractionis momento pallescerent, crediderint. In iis autem partibus, quas natura turgendi facultate instruxit, sanguis alias humor, in vasa et parenchyma, simulac stimuli occasione sese expanderunt, protinus irruit. — Praeterea musculi, quos stimulus tetigit, toti, uno impetu, et momento citius, quantum possunt, contrahuntur; hanc contractionem saepissime sequitur subitanea relaxatio, quam iterum, etiam silente stimulo, noua excipit contractio: at in turgoris organis, vna iride excepta, dissentio gradatim augeri solet, donec ad summum peruererit; tum vero, cessante irritatione, sensim, vt orta fuerat, subsidet, nec nisi nouus stimulus accesserit, reciprocatur. His adde, muscularum contractilitatem, stimulique sensum a morte aliquamdiu superesse, et exectos viui animalis musculos, donec refixerint, admoto irritationem conuelli: contra turgendi facultas, protinus, vita extincta, perit, nullusque stimulus est, qui membra abscissa, vt turgescant, permouere possit. Denique non ultimum differentiae utriusque facultatis momentum est, quod, cum inter musculos multi sint, qui animi ar-

bitrio regantur, nullum tamen corporis membrum reperiatur, cuius turgor ex animi voluntate pendeat. Voluntatis, inquam, nullum est in turgoris instrumenta imperium, nam a pudore, et ira, genas, a libidine genitalia turgescere non ignoro; in his autem animi perturbationibus nihil inesse deliberationis et consilii, sed coeco quasi impetu corpus ab iis commoueri, quilibet, me etiam non monente, intelligit.

Frequens est apud Pathologiae scriptores commemorati, congestionis humorum, cuius duas formas solent constituere, alteri actiuae, alteri passiuae econgestionis nomen imponentes. Priorem illam fere semper a turgoris vitalis enormitate nasci, alio tempore et loco probabitur. At, quae passiua dicitur congestio, ea vel ab humoris corrupti et vitose tenuis in loca sibi non conuenientia transitu, vel a vasorum et parenchymatis laxitate et inertia, vel ab eorumdem laceratione, vel denique a venarum sanguinem aut lympham alias sorbentium obstructione aut torpore oritur. Huius generis sunt maculae illae sanguineae in febris putridis, quas vulgo petechias dicunt, scorbutici gingivuarum tumores, sugillationes, varices, hydrops, alia. Atqui haec omnia, tantum abest, ut a stimulo, partes sic affectas lacescente, ipsarumque partium actuoso quadam nisu nascantur, ut potius vel irritamenti idonei vel vigoris vitalis defectui tribuenda sint. Quare, quantopere a turgore vitali, tum naturali illo, quem descripsi, tum immodico et morbi vi aucto, differant, perspicuum esse arbitror.

Totum corpus, singulaeque eius partes, extincta vita, ut supra dictum est, statim considere et quasi marcescere solent. Deinde autem, putredine paullatim ingruente, cutis attollitur et

omnia, corruptis intus humoribus, intumescunt. Neminem fore arbitror, qui hac obseruatione ita abutatur, vt ea meam de corporum post mortem collapsu sententiam refelli putet. Nimirum collapsus mortis est effectus; distentio illa et tumor cadauerum, putredinis, seu potius aeris et vaporis per putredinem ex humoribus extricati. Putredo autem a morte ipsa (licet certissimum eius signum habeatur) aliquanto temporis interuallo distat. Caeterum tumori illi corporis post mortem putrescentis, cum turgore viuentis et vegeti nihil commune esse, non opus est, vt moneam. Nempe ita inter se differunt haec duo corruptionis et integritatis effecta, vt lucem tenebris, alba nigris similiora dicas.

§. 6.

*Turgoris vitalis in corpore animali finis
et utilitas.*

In peruestigandis naturae consiliis rerumque causis, quas finales dicere Philosophi consuerunt, magna adhibenda est moderatio, ne phantasiae ludificatione decepti nubem pro Iunone, inania opiniorum commenta pro natura, amplectamur. Nec festinandum est super his iudicium, cum in res inciderimus, quarum plena cognitione etiamnum caremus; quippe non sine grauis erroris periculo, cur aliquid fiat, decernere licet, cum, quid reapse illud sit, nondum exploratum habeas; ideoque praestat, non liquere id quod quaeritur, profiteri, et, si quid alii forte statuunt, assencionem retinere, quam ignorantiae vanas fictiones arroganter praetexere. Evidem, horum memor, quando me in hunc locum de turgoris

vitalis vtilitate deduxit oratio, non hoc mihi sumo; vt, quo consilio natura singulas quasque partes hac facultate insignes, ea instruxerit, me explicare posse arbitrer. Quid enim v. c. ad commoditatem vitae illud faciat, quod a pudore genae, congesto in parenchyma vasaque subcutanea sanguine, turgescant et rubeant, quid in *oxenopomac* corporis ausi Numidicae illa palearum ab ira inflatione opus sit, id, licet non sine naturae consilio fieri credam, me ignorare ingenue fateor.

Veruntamen in aliis iisque longe plurimis exemplis manifestior est turgoris vtilitas. Nempe vel humorum ad singulas quasque partes commeatui, vel secretioni, vel excretioni, vel resorptioni, vel sensibus capiendis et perfruendis, vel denique rerum noxiarum depulsioni inseruit. Sed per singula eundum est.

Igitur quod vniuersi corporis parenchyma et vasa, illa, quam antea descripsi, turgescendi et sese expandendi facultate pollut, id magnam habet commoditatem tum ad sanguinem caeterosque humores aequabiliter distribuendos, tum ad nutritionem, tum denique ad caloris vitalis communicationem. Hac scilicet ratione, vi cordis in vltimis vasis defienti, subuenitur, et, quod illa praestare haud poterat, vasis humori appulso sese accommodantibus et aperientibus, alibilemque succum vnicuique parti aptissimum naturali quodam instinctu appetentibus, efficitur. Praeterea, cum sanguis in diducta vasorum et cellularum spatia confluat, fieri non potest, quin magnam partem caloris, quem in pulmonibus ex aere hauserat, singulis quibusque membris impertiat, et in extrema corporis

superficie, id quod superfluum est caloris, in aerem circumfusum expiret.

Secretionem iuuari turgescendi facultate, facile, ni fallor, ostendi potest. Ea enim tum hoc efficitur, vt instrumentorum secernendi vasa minima tantum sanguinis, quanto ad rem opus est, recipiant, tum maxime illud, vt ex sanguine materia humoris secernendi in loca sibi destinata peruenire possit, siue in proprios meatus illa statim transeat, siue, quae nuper fuit nonnullorum sententia, per vasorum raritatem in cellulas destillet, et ex his demum in ductus excretorios commigret. Sed alio loco meam de hac re sententiam explicabo diductius.

Excretionibus eorum, quae vel abundant in corpore, vel ex sanguine caeterisque humoribus tanquam purgamenta eiici, vel proprius caussa aliquo confluere debent, turgor mirifice opitulatur. Quod luculentissime docent stimulorum solito vehementiorum effecta. Nisi enim ponamus, ductus excretorios hisque vicina vasa ab irritamentis ita affici, vt sese expandendo largiorem humorum copiam admittant, me intelligere non posse fateor, qui fiat, vt a cibis acribus abundans saliuia ad os inuitetur, et a medicamentis purgantibus, tanta vis mur et bilis ad intestinum alliciatur, quantam illud vix capere posset. alia innumera exempla nunc taceam. Caeterum, cum ducrationum et excretionum genera, alterum perpetuorum et nunquam desinentium, alterum temporiarum, h. e. quibusdam temporum opportunitatibus adstrictarum, et per interualla cessantium; miranda est diligens sollersque naturae prouidentia, quae emissaria plerorumque excretionum temporiarum, vasorum et cellularum structura

ad turgorem accommodata inveniunt et circumdedit. Quod quidem eo factum est consilio, ut, quoties humor emitendus est, turgentibus distentisque partibus, ductus excretorios amplectentibus, hi ipsi exporrigantur et latescant, eoque patentioram viam humori praebant; intermissa rursus excretionem et cessante textus spongiosi turgore, collabantur et in se replicentur. Luculenta huius rei exempla habemus in membro virili et papillis mammorum. Simile artificium natura adhibuit in ea sede intestini duodeni, quae ductum choledochum recipit. Huius enim extrellum ostium sepsit ruga quadam crassiuscula ex replicata intestini membrana multoque textu cellulo-so constante, quae, sicubi stimulus vel cibi vel alius rei tetigit, turgescere, et attolli videtur, ut recluso ostio bili accessus pateat; stimulo autem cessante, laxata rursus ad aperturam illam applicatur.

Praeterea turgorem ad sorbitionem humorum haud parum valere, qui villorum intestinalium fabricam considerauerit, facile ut puto, intelliget. In his enim principia venarum lactearum immersa quasi sunt spongioso textui, quo turgescente illa diducuntur et chylo recipiendo aptantur. Neque reliquas totius corporis venas lymphaticas eiusmodi functionis suae adiumento carere probabile videbitur, si cogites, resorptionem a variis irritamentis euidenter accelerari.

Haud minor est turgoris ad sensum commoditas; eo enim efficitur, ut nerui, structurae cellularum vasorumque intertexti, his sese expandentibus una distendantur. Vnde necessarium est, superficiem, qua excipiendus sensus est, amplificari, resque oblatas et nervos contingere proprius, et ab iis percipi penitus. Id vero in geni-

talibus aliisque membris manifestum est, quarum acrior sensus a turgore existit; tum maxime in linguae papillis, quarum erection, neruuli, quos cingunt, rebus gustandis fiunt obuii earumque impressionem exquisitiorem percipiunt.

Denique turgoris ad noxias res depellendas et auertendas efficiacia luculente appetet in iride, cuius distentione pupilla arctatur, magnaque pars radiorum lucis, ne visus acies nimio stimulo hebetetur, accessu ad retinam prohibetur.

Haec fere habui, quae de turgore vitali dicerem. Alio tempore, quae illius sint in morbis affectiones, quidque in his efficiat, ostendam.

E R R A T A.

- P. 5 l. 20 distincta leg. distincta
p. 16 l. 7 diffensam leg. diffusam.
p. 27 l. 21 Sensibilitatis leg. Sensibilitatis
p. 30 l. 8. commemorati, leg. commemratio
p. ead. l. 10 econgestionis leg. congestionis
p. ead. l. 13 vitose leg. vitiose.

